

non per mutationem sui, sed per mutationem ipsius creaturæ, quæ est alterum extremum hujus præsentia.

XXXI. Et si adhuc urgeas: Nam non solum quantum ad connotationem, et denominationem, sed etiam quantum ad substantiam Deus antea non erat præsens in hoc loco, et modo producto lapide est præsens ibi secundum substantiam, ergo mutatur, respondetur distinguendo minorem: modo est præsens secundum substantiam immutantem creaturam concedo; secundum substantiam recipientem in se præsentiam, et applicationem passivam ad creaturam, nego. Ex hoc autem non sequitur, quod Deus mutetur quando actu existit in hoc loco, vel in hac re, quæ de novo fit in spatio, sed quod mutet talem rem, vel talem locum, et ratione talis mutationis activæ dicitur Deus esse secundum suam substantiam ubi antea non erat, quia antea non immutabat, erat tamen antea in se ipso cum virtute, et potentia immutandi, et existendi in illo, et reddendo sibi præsens per activam immutationem, non per aliquam passivam applicationem suæ substantiæ. Res autem operans, et agens potest adesse, vel abesse secundum suam substantiam ab aliqua re, non solum per mutationem sui, sed per mutationem ejus cui assistit secundum suam substantiam immutantem illud. Unde frustra torquetur Vazquez in solutione hujus argumenti hic disputatione XXIX, c. v.

XXXII. Ad ultimum inconveniens respondetur illud fundari in falsa imaginatione rerum spiritualium, quasi dividatur earum substantia, si non continuatim ponatur in spatio, ita quod operatur in extremis, et non in medio, hoc enim sufficeret ad divisionem rei quantæ, quæ commensuratur ipsi spatio. Cæte-

rum non sufficit ad divisionem virtutis spiritualis, quæ independens est a commensuratione medii. Unde licet ejus substantia intelligatur ponere operationem suam in extremis, et non in medio non sequitur, quod dividatur in se, sed quod dividat effectus, et quod substantia ejus assistat illis sic divisus sine divisione sui in quo oportet transcendere imaginationem, et corrigere illam ex eminentia rei spiritualis, et independentiæ illius ab omni commensuratione medii. Quod etiam solet dici ab aliquibus de Angelo, qui intra suam spheram potest esse in extremis sine eo, quod sit in medio, ita Deus in toto spatio imaginario, quod est spheræ immensitatis suæ potest ponere effectus in diversis partibus spatii, illisque assistere per suam substantiam, ut immutativam illarum sine hoc, quod sit in spatio intermedio actu sine divisione suæ substantiæ. Et hoc multo melius quam Angelus, quia licet Angelus sit in loco per virtutem operativam, tamen virtus ejus operativa est dependens a passo in operando, passum autem est corpus continuum, et divisibile, et ideo ex hac parte debet virtus spiritualis Angeli accommodari suo modo ipsi passo, Deus autem omnino liber, et independens est ab omni spatio, et ab omni passo, quia potest creare ex nihilo, et sic minus alligatur passo continuo, et divisibili ad operandum. Si vero ab Angelo removeatur omne passum, et omne corpus, ex quo, et in quo operetur, talis Angelus non manebit in loco, sed manebit secundum se potens existere in loco, actu tamen non dicetur habere locum, ut ex D. Thoma, in dist. XXXVII, I sent. dicemus infra qu. LII. Non enim est inconveniens Angelum manere sine omni loco actuali, licet maneat cum potentia ad habendum locum, sicut caret omni cor-

pore, in quod operetur. Sed de hoc dicemus latius citata quæstione LII.

XXXIII. Si autem inquiratur, quomodo Deus sit actu in æternitate, et omnes res physice sibi faciat præsentis, ut communiter sentiunt Thomistæ: immensitas autem non possit esse præsens rebus ipsis, vel spatiis imaginariis, hoc argumentum urget p. Arrubal, disput. XI citata, cap. VII. Sed respondebimus infra tractando de æternitate, et de modo quo res sunt in æternitate. Nunc breviter dicimus quod ad immensitatem pertinet ponere contactum divinum ad res, contactus autem ille est immutativus, et consequenter antequam res sint immutata in se non dicitur præsentiam Dei ponere ad spatia replendo illa, vel alio quocumque modo, quia præsentia illa, et contactus est effectivus, et non potest tangere, quod non potest efficere. At vero æternitas licet faciat Deum æternum in se, sicut immensitas existentem in se, et virtualiter in ordine ad ea, quæ potest producere in spatio, tamen respectu earum rerum, quæ mensurantur æternitate non se habet per modum immutantis illas, neque producentis in propria mensura, sed immutabili modo, et æterno in sua mensura complectitur, et ita opposito modo procedit ad immensitatem, quia sub modo immutabili illa tangit, non in propria mensura immutat, sicut immensitas. Sed de hoc dicemus amplius infra disputatione sequenti.

ARTICULUS V.

Utrum modi generales Dei existendi in rebus sint bene assignati a D. Thoma?

I. Modi generales sint tres, existit enim Deus in rebus per essentiam, præsentiam, et potentiam. Circa

quos modos est duplex difficultas. Prima, explicare distinctionem istorum modorum inter se. Secunda, explicare eorum sufficientiam, ita quod non sint plures modi generales existendi, in rebus.

II. Circa primum, difficultas oritur ex ipso processu D. Thomæ, quia modum generalem existendi in rebus dividit in istos tres modos existendi per essentiam, præsentiam, et potentiam. Non autem apparet quodnam sit divisum istius divisionis, et quo genere divisionis dividatur in illos. Etenim modus generalis existendi Dei in rebus videtur esse existentia per modum agentis, et operantis; hic enim contraponitur modo existendi per gratiam, qui est specialis, præsertim cum dicamus rationem formalem existendi Dei in rebus esse operationem: tunc autem modus existendi per essentiam non distinguetur a modo existendi per potentiam, seu per operationem, quæ procedit a potentia, quia essentia non existit, nisi per operationem. Et similiter ipsum divisum commune coincidit cum membro dividente, nam modus existendi in communi est existentia divinæ substantiæ per modum operationis, quæ coincidit cum existentia per essentiam, et per potentiam.

III. Secundo, est difficultas, quia modus existendi per potentiam dicitur esse modus existendi in alio per modum regiminis, sicut rex est in regno per suam potestatem, qui modus existendi est moralis, et metaphoricus. Rex enim movet mediante imperio, et apprehensione suorum decretorum, potentia autem Dei, qua existit in rebus non est moralis, sed physica.

Tertio, modus existendi per præsentiam dicitur consistere in eo, quia omnia sunt præsentia conspectui Dei, hoc autem modo potius res sunt in Deo, quam Deus in illis,

quia cognitum est in cognoscente, non cognoscens in cognito. Item quia Deus eodem modo cognoscit res præteritas, futuras atque præsentis, scilicet, in sua æternitate intuendo illas, et tamen non dicitur esse in rebus præteritis, aut futuris. Ac denique, quia si ideo est in rebus per præsentiam, quia habet illas in conspectu suo, etiam erit in essentia sua, quia cognoscit illam, ut præsentem.

IV. Circa secundum vero punctum, scilicet de sufficientia istorum modorum est unica difficultas, quia sicut Deus est in rebus per potentiam, quatenus omnia suæ potestati subsunt, sic etiam per alia attributa debet dici, quod est in rebus, nam etiam intellectui, et voluntati Dei subduntur omnia juxta illud Esther XIII: *Omnia in ditione voluntatis tuæ sunt posita*, et Judith IX: *Omnes viæ tuæ paratæ sunt et illa post illa cogitasti*. Similiter per æternitatem est in omnibus rebus, quatenus trahit illas ad suam mensuram, et per misericordiam quatenus tollit omnium defectus, et per justitiam quatenus reddit omnibus, quæ sua sunt, ergo præter modum existendi rebus per potentiam agentis, et per præsentiam intuentis, restant alii modi quibus existit in rebus secundum alia attributa.

V. Nihilominus relictis variis sententiis circa explicationem istorum modorum, ut verum explicemus, duo sunt notanda. Primum est, quod hæc propositio in, cum dicitur aliquid esse in aliquo habet diversas acceptiones et ex ejus æquivocatione provenit æquivocatio et confusio inter auctores. Nam in genere loquendo esse in aliquo dicitur secundum quameunque conjunctionem, et habitudinem ad aliud, et secundum quod diversis rebus adjungitur, diversas habitudines notat, ut cum dicitur aliquid esse in toto, vel in

parte, vel in loco, imo opposita relativa quatenus habent simultatem dici potest, quod unum est in alio, sicut concedit D. Thomas I, p. q. XLII, ar. v ad III, quod pater est in filio, et e contra, non solum ratione unius essentiæ, sed etiam ratione relativæ oppositionis, quia relativa sunt simul. Cæterum proprie loquendo, hæc propositio in, importat habitudinem unius ad alterum per modum continentis, ut ait Divus Thomas I p. q. XXXIX, ar. VIII. Continet autem Deus aliquid vel intra se per suam similitudinem, sicut res est in cognoscente, vel extra se, quatenus illi subjiciuntur, et ab eo conservantur, et disponuntur. Hic autem modus essendi in aliquo extra se per modum continentis potest dari secundum multiplicem habitudinem causæ, ut advertit ipse D. Thomas super epist. ad Rom. c. XI, lect. v exponens illa verba: *Ex ipso et per ipsum, et in ipso sunt omnia*. Uno modo secundum quod designat causam materiale, sicut dicimus animam esse in corpore, et formam in materia, et accidentia in subjecto, et sic non est aliquid in Deo, cum ipse non sit materia nec subjectum. Alio modo secundum habitudinem causæ efficientis in cujus potestate est effectus suos disponere. Et secundum hoc dicuntur omnia esse in ipso secundum quod omnia sunt in ejus potestate, et dispositione juxta illud Psalm. xciv: *In manu ejus sunt omnes fines terræ*, et Actorum xvii: *In ipso vivimus, et movemur, et sumus*. Tertio modo secundum habitudinem causæ finalis secundum quod totum bonum rei, et conservatio ipsius consistit in suo optimo, et secundum hoc dicuntur omnia esse in Deo sicut in bonitate conservante, juxta illud ad Colossens. I: *Et omnia in ipso constant*. Et hac ratione attribuitur peculiariter Spiritui Sancto, quod in ipso sunt

omnia, quia appropriatur illi bonitas, quæ omnia conservat extra Deum, ut explicat D. Thomas, I p. q. XXXIX, ar. VIII.

VI. Secundo, notandum est D. Thomam per istos tres modos voluisse explicare in præsentem non solum ipsum modum immensitatis, quatenus habet contactum virtuale, et physicum ad res, qui fit mediante operatione, seu virtute operativa, ut explicatum est in præcedentibus, sed etiam voluit explicare modos, quibus immensitas ipsa subjicit sibi omnia, quæ tangit, sive gubernando, sive conspectui suo præsentando, ut statim explicabitur. Et ita potentia secundum quam Deus dicitur esse in rebus duplicem habitudinem, seu considerationem habet, scilicet, et tangendi contactu suo res, quas immediate operatur, et gubernandi, ac dirigendi illas. Et primo modo constituit existentiam Dei in rebus per essentiam, et secundo modo per potentiam. Magis autem proprie explicavit D. Thomas istos modos in præsentem, quam in I dist. xxxvii, q. I, ar. II, quia hic explicavit illos sumendo præpositionem in magis proprie, secundum habitudinem continentis, et subjicientis sibi alia: licet etiam secundum alias habitudines simultatis, et conjunctionis accipi possit, minus tamen proprias.

VII. Ex his non erit difficile explicare distinctionem illorum modorum secundum mentem doctoris sancti. Dicimus enim distingui hos modos secundum diversum modum subjiciendi, et continendi creaturas extra Deum, ita quod modus existendi per essentiam est idem, quod modus existendi per contactum immediate, quo ipsa substantia Dei est in rebus, nam essentia considerata absolute, et sine contactu non existit, nisi in se tantum, non vero existit in alio, sed in se. Quare ratio for-

malis, qua existit in rebus substantia Dei non potest esse ipsa essentia absolute considerata in se, sed prout importat habitudinem contactus, qui contactus cum sit divinus necessario est aliquid sibi inferius, quod immutatur et subjicitur Deo. Et ita contactus ipse substantiæ divinæ ad res debet esse, sicut contactus formæ agentis supremæ ad ea, quæ participant ipsam, atque adeo talis substantia, media participatione sui, et operatione sit contactiva, et sub hac ratione operatio seu potentia, ut fundat contactum divinum pertinet ad modum essendi Dei per essentiam, quia ly per essentiam non importat essentiam absolute, et in ordine ad se, sed ut contactivam rei extra se immediate secundum suam substantiam, atque adeo, ut operantem in illam.

VIII. Modus autem existendi per potentiam dicitur modum existendi in rebus per modum continentis, non continentia contactus, sed continentia potestatis gubernativæ, et directivæ effectuum extra se. Potentia enim potest comparari ad effectus suos, vel prout continet illos in causa, et in potentia, vel prout continet illos extra se in actu. Primo modo effectus non tanguntur a causa, quia in se non sunt aliquid, sed intra causam, et in ejus potentia. Secundo modo dupliciter illos respicit et continet, vel gubernando, seu dirigendo, sicut rex gubernat, et continet in officio subditos mediis ministris, vel prout producit, et physice dat eis esse. Et Deus utroque modo respicit creaturas, nam et omnibus dat esse ita immediate quod si suspendeat influxum, potest quodcumque ens annihilare, et sic fundat contactum immediatum, et secundum substantiam suam, et est primus modus existendi in rebus. Deinde etiam omnia gubernat, et dirigit mediantibus causis secundis,

et quædam etiam per se ipsum, et hoc pertinet ad hunc secundum modum continendi omnia per potentiam, ut gubernativam, et non præcise, ut productivam.

IX. Denique, tertius modus existendi in rebus per præsentiam nihil aliud est, quam res ipsas quas producit in sua propria mensura, facere etiam subjectas conspectui suo per intuitionem, non solum quatenus eas intuetur in æternitate tam futuras, quam præteritas, seu prout existentes in sua propria mensura non possunt effugere conspectum Dei, sed oculis ejus, et non solum gubernationi ejus subjectæ sunt, juxta illud ad Hebr. ix: *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda sunt et aperta oculis ejus*, quod certe maxima subjectio est, et distincta a subjectione gubernationis, inter homines enim quantumcumque habeat aliquis summam potestatem, non tamen omnia subjecta, et nuda sunt oculis ejus. Et licet res cum cognoscuntur per similitudinem sint in cognoscente, potius quam cognoscens in illis, tamen hoc est generale omni cognitioni; speciale vero est in hac præsentia quod nulla creatura possit fugere oculos Dei, nec ab eo se abscondere, et hæc servitus, seu subjectio pertinet ad modum, quo Deus subjicit sibi creaturas non solum cognoscendo quomodocumque sed sic cognoscendo, ut non possit abscondi, et effugere ab eo.

X. Ex his autem tribus modis existendi excludit D. Thomas in articulo tertio tres errores qui fuerunt circa divinam providentiam, et subjectionem creaturarum ad ipsum, qui optime in articulo referantur a D. Thoma.

XI. Colligitur etiam ex dictis nihil contra D. Thomam convincere rationem Fabri in i dist. xxxvii, quæstione unica, cap. ii, qua probat quod

essentia, et non operatio in Deo sit ratio formalis existendi in rebus, eo quod Deus potest causare aliquid extra universum, et ibi non est secundum substantiam, ergo operatio non est ratio formalis existendi in rebus secundum substantiam. Sed respondetur facile, quod sicut Deus causare potest extra universum aliquid, ita est extra universum virtualiter, et mediate, formaliter autem in se ipso cum potestate, et virtute immutandi, et tangendi quidquid voluerit producere intra, vel extra universum. Nec ad hoc requiritur, quod prius antecedenter ad operationem sit in aliquo spatio, et per applicationem aliquam, seu contactum passivum sui tangat res, quæ in eo ponuntur, sed per suam virtutem potest tangere quascumque res, quæ in illo spatio producantur non per aliquam mutationem sui, et recipiendo aliquid in se, sed per mutationem creaturæ ibi productæ a se, sicut enim producit res sine mutatione sui, ita tangit illas, et existit in illis sine mutatione sui, sed per solam mutationem creaturæ, nec prius supponitur in spatio, ut applicatione passiva sui in creaturis existat.

XII. Ad primum a principio respondetur divisum hujus divisionis esse modum existendi in rebus, ut communis est multis attributis, quibus Deus generaliter in omnibus rebus existere potest continendo, et subjiciendo illas sibi, potest enim existere per operationem ut productivam, et sic pertinet ad contactum immensitatis, et potest subjicere, et continere creaturas, tum per potentiam gubernativam, tum per intuitionem, quatenus nihil potest abscondi a conspectu ejus. Unde modus existendi per operationem, ut præcise est productiva ipsius esse, et contactiva rei productæ non est divisum hujus divisionis, sed unum

ex membris dividendis, pertinetque ad modum existendi ipsius attributi immensitatis, quatenus est contactiva rei sibi conjunctæ virtuali contactu, et tunc modus existendi per essentiam distinguitur a modo existendi per potentiam, non quidem a modo existendi per essentiam, quatenus præcise potentia illa productiva est in mutando, et assistendo rei creatæ, sic enim operatio est ipsa ratio formalis contactus divinæ substantiæ, seu a modo existendi per potentiam ut gubernativa est, sicut rex dicitur esse in regno per potestatem gubernativam qua disponit de omnibus; quæ ratio distinguitur a contactu virtuali, et physico.

XIII. Ad secundum respondetur quod in humanis rex habet modum limitatum, et imperfectum gubernandi, nec habet potestatem executivam suæ gubernationis per se ipsum efficaciter, et physice, sed movendo alios metaphorico, et morali motu sui imperii. At vero Deus habet perfectissimum et supremum regimen omnium, quantum ad vim directivam, et in se habet sufficientissimam potestatem quantum ad vim executivam physicam, tam respectu eorum quæ facit immediate per se, quam respectu eorum, quæ mediantibus causis secundis executur. Et licet executio Dei coincidat cum operatione ut productiva, et sic videatur pertinere ad contactum divinæ substantiæ, quæ fit per operationem, tamen distinctæ formalitates sunt in operatione divina fundare contactum substantiæ secundum quod operatio illa immediate influit esse in omnia, vel continere, et subjicere sibi res illas ex vi rationis gubernativæ, et executivæ physice, quæ hæc, ut est executio gubernationis divinæ non semper fit immediate in omnes effectus, sed etiam mediantibus causis se-

cundis, quas divina motio, et gubernatio non solum moraliter, sed etiam physice movet ad operandum, Deus autem non est immediate, et intime in omnibus, ut supra diximus ratione motionis causarum, sed ratione concursus immediati in effectus, et in esse.

XIV. Ad tertium respondetur quod si attendamus ad rationem cognitionis, quatenus præcise dicit ordinem ad cognoscibile, sic verum est quod potius cognitum est in cognoscente, quam e converso, ut jam supra advertimus; si vero specialiter consideretur ratio intuitionis, quatenus requirit præsentiam physicam rei visæ ad intuentem sic potest fundare specialem subjectionem physicæ præsentiae ad intuentem, si tantæ efficacitatis sit ejus intuitus, ut nulla res possit subtegere ejus conspectum, et occultare se ab illo. Quod vero dicitur etiam Deum videre res præteritas, et futuras, prout sunt præsentibus in æternitate, respondetur verum quidem esse, sed specialiter hoc attribui rebus præsentibus, quatenus licet omnia prout sunt in æternitate manifesta sint Deo, tamen ea quæ sunt de facto in sua propria mensura, adhuc in illa ita sunt objecta Deo, ut non possint se abscondere a conspectu ejus etiam sub propria mensura. Quod vero dicitur Deum etiam cognoscere se ipsum ut præsentem non est ad rem, quia per istam præsentiam Deus non subjicitur sibi nec distinguitur a se, unde per hoc non dicitur Deus esse in se ipso tamquam in aliquo distincto, et subjecto. In præsentibus autem solum loquimur de modis existendi Dei in rebus creatis a se distinctis, et sibi subjectis.

XV. Ad ea quæ objiciuntur contra secundum punctum respondetur, quod non omnibus attributis convenit constituere rationem essendi in alio extra se, et ideo non omnibus

convenit constituere modum generalem essendi in creaturis, sed quædam attributa sunt, quæ pure absolute dicuntur, ut infinitas, perfectio, existentia, vita, etc. Alia vero attributa, seu prædicata dicuntur in Deo non pure absolute, sed secundum ordinem ad creaturas, et hæc tripliciter se possunt habere. Uno modo trahendo creaturas ad se sicut intellectus, et voluntas, quæ per actus immanentes tangunt objecta intra se, et sic cognitum est in cognoscente, et amatum in amante, et hoc modo potius creatura est in Deo, quam Deus in creaturis. Et similiter æternitas, quæ non est mensura applicabilis ad res extra se, sed potius trahens res ad se, quia mensurantur immutabiliter, et secundum modum superiorem, non prout sunt in se in propria mensura, et ideo æternitas non dicitur esse in rebus, sed res in æternitate. Alia sunt attributa, quæ respiciunt creaturas secundum aliquem specialem effectum, vel perfectionem, quam causant in rebus, quæ licet causari non possit, et poni sine aliqua applicatione, vel productione Dei, non tamen in suo formali conceptu talem præsentiam, vel applicationem explicant, et ideo non fundant ex vi talis conceptus particularem modum essendi in creaturis, sicut v. g. misericordia, justitia; liberalitas, et cæteræ virtutes habent quidem respicere creaturas, non tamen habent directe facere præsentiam aliquam, vel applicationem ad creaturas, sed solum respiciunt effectus aliquos particulares, qui specialiter eis correspondent in creaturis, supponendo non formaliter præbendo præsentiam ipsam, tamquam conditionem vel tamquam aliquid consecutum aut requisitum. Tertio, denique sunt alia attributa, quæ ex vi sui formalis conceptus non solum habent respice-

re creaturas, et speciales aliquos effectus in illis, sed etiam ex suo formali conceptu habent præsentiam ipsam, vel applicationem, aut contactum Dei ad creaturas ponere. Et hæc solum sunt attributa a D. Thoma enumerata, nempe quod facit, substantiam Dei præsentem secundum contactum, quod est immensitas ut contactiva contactu operativo et potentia ut gubernativa, et visio ut faciens omnia præsentia suo conspectui. Et ideo solum numeratur triplex modus existendi Dei in rebus generaliter.

ARTICULUS VI.

Utrum specialis modus existendi Dei per gratiam sit bene assignatus?

I. Duplex est difficultas in hac parte. Prima, quomodo modus existendi per Dei gratiam consistat in eo, quod dicit D. Thomas quod sit in anima per modum cogniti, et amati. Secunda, an ratione gratiæ et hujus peculiaris modi substantia Dei reddatur præsens animæ, et illi unita, ita quod si per impossibile non haberet immensitatem, tamen per gratiam substantia Dei redderetur præsens animæ.

II. Ratio primæ difficultatis est, quia Deum esse cognitum, et amatum est quædam denominatio extrinseca proveniens ex cognitione, et amore, quo ab homine amatur, et cognoscitur, hæc autem denominatio in ipso Deo extrinseca est, et sic non facit ipsum intime præsentem in anima. Cognitio autem ipsa, et amor, quo Deus cognoscitur sunt effectus ejus in anima, non Deus ipse, ergo mediantibus illis solum est in anima, operans in operato, qui est modus generalis existendi in rebus. Et similiter me-

diant gratia est in anima, tamquam re a Deo producta: ergo solum est tamquam operans, et agens hunc effectum, qui est gratia; hoc autem non extrahit Deum a modo generali existendi in rebus, nam quod effectus sit magis, vel minus perfectus, non facit Deum aliter esse in rebus, quam per modum operantis. Denique etiam per cognitionem, et amorem naturalem Deus est cognitus, et amatus ab Angelo, et ab homine et a peccatore per fidem, et spem etiam supernaturaliter cognoscitur, et speratur, et tamen non est in illis modo speciali, sicut est per gratiam, ergo non bene explicatur iste modus per hoc quod Deus sit objectum cognitum, et amatum.

III. Ratio secundæ difficultatis est quia mediante gratia, vel intelligitur Deus esse in anima tamquam agens, et producens ipsam gratiam, vel alio modo unit substantiam suam animæ habenti gratiam. Si dicatur primum, Deus est quidem intime in ipsa gratia, et in subjecto habente gratiam tamquam agens, et operans in suo effectum, sed hic modus pertinet ad generalem existentiam in rebus per modum suæ immensitatis, ut operantis omnes effectus. Si dicatur secundum inexplicabilis videtur illa unio, quia substantia Dei non potest uniri creaturis rationalibus, nisi vel per modum causæ efficientis, vel per modum causæ formalis terminantis. Per modum quidem causæ efficientis unitur Deus animæ habenti gratiam, sed tamen iste modus, ut sæpe diximus non extrahit a modo generalis existendi in rebus per operationem, et solum est differentia valde materialis, quod effectus sit perfectior, vel minus perfectus, alias speciali modo dicitur esse in Angelo, quia perfectior est, quam in aliis rebus imperfectioribus. Unio autem divinæ substantiæ per modum for-

mæ terminantis non invenitur in eo, qui solum habet gratiam, sed in eo, qui habet lumen gloriæ invenitur uniri essentia in ratione speciei, et per unionem hypostaticam unitur in ratione Personæ divinæ independentem a gratia, præter istas autem uniones non est dabilis alia in ratione formæ terminantis, ergo gratia non efficit specialem præsentiam substantiæ divinæ in anima remota immensitate, et contactu ejus.

IV. Ad primam difficultatem respondetur, quod Deum esse cognitum, et amatum dupliciter sumi potest. Uno modo pro sola, et pura denominatione extrinseca, et hoc modo Deus non existit specialiter in cognoscente, et amante, nec requiritur aliqua specialis missio divinæ Personarum ad animam, imo etiam per naturalem cognitionem, et amorem, vel etiam per fidem sine gratia potest Deus denominari cognitus, vel amatus. Alio modo ly cognitum, vel amatum sumitur non pro denominatione ipsa cogniti, et amati præcise, sed prout dicit modum specialem familiaris convictus cum Deo, et communicationis ad possidendum, et fruendum ipso, si quidem hæc fruitio, et possessio non fit, nisi per cognitionem, et amorem, et sic Deus, ut cognitus, et amatus non quomodocumque: sed possessive, et fruibiler dicit specialem rationem existendi in anima, eo quod possessio, et fruitio Dei non posset fieri si esset absens, et non intra nos juxta illud Christi Domini Luc. xvii: *Regnum Dei intra vos est*. Ad hoc autem disponit gratia, et charitas quatenus reddat animam elevatam ad amandum, et fruendum Deo.

V. Circa secundam difficultatem, aliqui ut patet Vazquez hic disp. xxx, cap. iii, existimant modum istum existendi per gratiam non pertinere